

alium, vel in eum ipsum, qui dicit, id, quod in adversarium dicitur, potest convenire, hoc modo:

Miseri sunt, qui uxores ducunt.—At tu duxisti alteram.

Item vitiosum est id, quod vulgarem habet defensionem, hoc modo: *Iracundia inductus peccavit, aut adolescentia aut amore.* Hujuscemodi enim deprecationes si probabuntur, impune maxima peccata dilabentur.

Item vitiosum est, quum id pro certo sumitur, quod inter omnes non constat, quia etiam nunc in controversia est, hoc modo:

Eho tu, dii, quibus est potestas motus superum atque
inferum,

Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

Nam ita pro suo jure hoc exemplo usum Cresphontem Ennius induxit, quasi jam satis certis rationibus, ita esse, demonstrasset. Item vitiosum est, quod jam quasi sero, atque acto negotio, dici videtur, hoc modo: *In mentem mihi si venisset, Quirites, non commissem, ut hunc in locum res veniret; nam aut hoc, aut hoc fecissem; sed me tum haec ratio fugit.* Item vitiosum est, quum id, quod in aperto delicto positum est, tamen aliqua levi tegitur defensione, hoc modo:

Quum te expetebant omnes, florentissimo

Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus

Summo periculo sola ut restituam paro.

Cap. XXVI. Item vitiosum est, quod aliam in partem, ac dictum sit, potest accipi. Id est hujusmodi, ut si quis potens ac factiosus in concione dixerit: *Satius est uti regibus, quam malis legibus.* Nam nec tametsi rei augendae causa potest sine malitia dici, tamen propter potentiam ejus, qui dicit, non dicitur sine atroci suspicione.

Item vitiosum est, falsis, aut vulgaribus definitionibus uti. *Falsae* sunt hujusmodi, ut si quis dicat, injuriam esse nullam, nisi quae ex pulsatione, aut convicio constet. *Vulgares*